



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Svmma Practica Theologiae Mysticae**

**Gelen, Victor**

**Coloniae Agrippinae, 1652**

Articulus Primus. Quid sit contemplatio modi negatiui.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9766**

## ARTICVLVS PRIMVS.

*Quid sit contemplatio modi negatiui.*

**C**ontemplatio modi negatiui, est firmus animi intuitus in diuinitatem directus per reiectionem & transcendentiā sensitiui amoris. firmus intuitus in diuina directus est communis contemplationi vtriusque modi: natura enim contemplationis mysticæ est. Deum firma attentione videre, & simul amare; quod autem sensitiuum amorem transcendat, differt à modo amorosæ contemplationis, quæ in benedictionibus dulcedinis operatur.

Cæterum hoc loco obseruandum venit, mysticum in quocunq; tandem modo procedat, scilicet vel via affirmationis, vel negationis, qua vel dicit in seipso Deus est potens, æternus, summum Ens & Bonum: vel negat in seipso Deum esse ita potentem, æternum; sed magis excellentem, quam concipi possit; interea dum affirmat, modicum, aut nihil prodesse negationem, & similiter dum negat, affirmationem non esse opportunam. quia in praxi secundum hoc, quod magis cuique in Nunc præsentem reale est; semper vtilius, & verius proceditur. Cum autem circa contemplationem, quæ per negationem fit, abusus, & damna irrepant, consequenter dicimus,

*Quod contemplatio, quæ fit per nudam abstractionem cum falso otio, deducat ad Luciferi propriam complacentiam.*

a 3. p. c. 6.

## ARTICVLVS SECUNDVS.

**A**d abstractionis malæ, bonæque lucidam cognitionem, sciendum est modum contemplationis negatiuum, quo mysticus sua interiora, ab omnibus, quo sunt, & quæ non sunt, denudare, & abstrahere solet, diuersimodè contingere. Primo, quando actu abstrahendo, simul aliud à passionibus, vel imaginatione, sub viuaciori amicitate, quam sit ipsa abstractio, representatur; quod est distractionis molestiam sentire, vel animo inuito alio duci; & fragilitati humanæ condonandum. Secundo, quando varij actus denudationis, nulla quidem passione interturbantur; attamen in sua ad Deum conuersione, nihil realis communionis diuinæ naturæ vitaliter consequuntur; sed post varios actus auersionis, & conuersionis intellectualiter exercitatos, tandem obscura, & ponderosa cæcitate inuolutum, languidum, & actuali, vitaliq; diuina fruitione destitutum relinquunt contemplantem. id quod paulò minus, quam quotidianum est apud illos, qui post abstractionem, & conuersionem ad Deum, firmi consistere volunt, in dicta conuersione nihil agentes, nisi retinendo phantasma quoddam resultans ex illa conuersione, & vix vtcunq; benè afficiens; atq; ideo à tam nocuo otandi modo, prouidè absterret Candtfelt a nosler dicens [desistio, seu cessatio ab operatione non potest cum fructu, & in Deo à sola anima fieri; Verum, & operatio Spiritus diuini est